

40.
t

DISSERTATIO
INAUGURALIS THEOLO-
GICO - CANONICA

D E

DESPONSATIONE
CLANDESTINA

AD TIT. III. LIB. IV. DECRETALIUM

Q U A M

UNA CUM POSITIONIBUS EX VARIO JURE

P R O

CONSEQUENDO UTRIUSQUE JURIS

DOCTORATU

PLACIDÆ ERUDITORUM CRISI SUBJECIT

AUTHOR & RESPONDENS

CHRISTIANUS KOHL

EX RHEINBROHL

AA. LL. & Philosophiæ Magister, Archiepiscopalis Trevirensis

Curæ Metropolitanae, ac Ordinariæ SECRETARIUS

A D H O C

ULTIMUM SPECIMEN POST EXERCITATORIAM, TENTAMEN, & EXAMEN
RIGOROSUM AB INCLYTA FACULTATE JURIDICA ADMISSUS.

IN AUDITORIO MAJORE JURIDICO

Die /7 Junii horâ 8vâ 1772.

Augustæ Trevirorum, Typis ESCHERMANNIANIS.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines and is significantly faded and obscured by water damage and staining.

TERE
C
W
CHI-
CLPER
ARC
PRIN
SCOP
GENSI,
PRINC
SAXON
HLE, E
LE, MA
PERIOR
GENSI
BARB
DOMI

REVERENDISSIMO, ET SERENISSIMO
PRINCIPI, DOMINO

D. C L E M E N T I
W E N C E S L A O,

ARCHI-EPISCOPO TREVIRENSI,

S. R. I. PER GALLIAM, ET REGNUM ARELATENSE

ARCHI-CANCELLARIO,

A C

PRINCIPI ELECTORI,

EPISCOPO AUGUSTANO, COADJUTORI

ELWACENSI, ADMINISTRATORI PRUMIENSI PERPE-

TUO, PRINCIPI REGIO POLONIÆ, ET LITHUANIÆ,

DUCI SAXONIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ, MONTIUM,

ANGARIÆ, ET WESTPHALIÆ, LANDGRAVIO THU-

RINGIÆ, MARCHIONI MISNIÆ, NEC NON SUPERIORIS

ET INFERIORIS LUSATIÆ, COMITI-PRINCIPI HEN-

NEBERGENSI, COMITI MARCHIÆ, RAVENSBERGÆ,

BARBII, ET HANNOVIÆ, DYNASTÆ

IN RAVENSTEIN &c. &c.

DOMINO MEO CLEMENTISSIMO.

REVERENDISSIMO, ET SERENISSIMO
PRINCIPIS, DOMINO

D. CLEMEN-
TI WEN-
CESLAO,

ARCHI-EPISCOPO TREVIRENSI
ET PER GALLIAM, ET REGNUM ARLENTENSE

ARCHI-CANCELLARIO,

PRINCIPIS ELECTORI,

EPISCOPO AUGUSTANO, COADJUTORI

BEWACHUNG, ADMINISTRATORI PRUMIENSIS PERIT-

TUO, PRINCIPIS REGIO POTOMAE, ET LITHUANIE,

DUCI BAVARIE, JULIE, CIVIS, MONTIUM,

ANGARAE, ET WESTPHALIE, LANDGRAVIO THU-

RINGIE, MARCHIONI MISNIE, ET NON SUPERIORIS

ET INFERIORIS LUSATIE, COMITI PRINCIPIS BEN-

NEBERGENSE, COMITI MARCHIE, RAVENBERGAE,

BARBI, ET HANNOVIE, DYNASTAE

IN RAVENBERGAE ET DE

DOMINO MEO CLEMENTISSIMO.

REVERENDISSIME, AC SERENISSIME
ARCHI-EPISCOPE,
S. R. I. PRINCEPS ELECTOR,
DOMINE DOMINE CLEMENTISSIME.



*I*nter nubes in sublimi suspensas, & terram hanc nostram perpetua est actionum vicissitudo, & constans officiorum reciprocatio, cum vapores ex hac, mediante Aëre, qui velut commune emporium aut cribrum naturæ est, continuò sursum ascendant, & in nubes coeant, istæque tandem resolutæ nivem nobis & pluviam demittant. At vero inter caelestes stellas & nostram tellurem mutuum ejusmodi commercium non reperitur: Illæ tum lumine suo, tum aliis influxibus ita nos afficiunt, ut nullum à nobis influxum accipiant vicissim: Illis similes estis Vos magni Principes in politico hujus mundi firmamento: Illuminatis, dirigitis, fovetis subjectas vobis gentes, quin ullum ab iisdem influxum vicissim recipiatis. Et Tu quidem SERENISSIME PRINCEPS ELECTOR, ex maximo Familiæ, virtutumque Tuarum splendore es inter superiores illas una primæ magnitudinis stella, præterquam quod sol sis nobis propinquior, qui, cum subditos omnes Clementiæ tuæ radiis animas, vegetésque, me etiam singulariter eorum

REVERENDISSIME, NO. SERENISSIME
S. R. I. PRINCEPS ELECTOR,
DOMINE DOMINE CLEMENTISSIME

vinu sentire fecisti Secretarii in Curia Tua ecclesiastica Trevi-
rensi sparta mihi clementissimè demandata. Pro gratiosissima
officii istius collatione, cum in perpetuum grati animi, maxi-
maque devotionis meae publicum Argumentum Theses has jam
offeram, nihil tamen gratis Tuis aut meritis rependo, sed
hoc ipso potius novam gratiam accipio, quod obscurum munus-
culum meum SERENISSIMO NOMINE TUO praefixo il-
lustrari patiaris. Quod igitur solvan superest: illum, qui Rex
Regum est, & Dominus Dominantium, devotissimo semper
affectu implorabo, ut SERENITATEM TUAM populo tyeverico
diutissimè servet, conservetque. Ita sub profundissima genu-
flexione

SERENITATI TUAE ELECTORALI

Apprecatur Servorum infimus
CHRISTIANUS KOHE.



DE
CLANDESTINA DESPONSATIONE.



NUM. I. Duos modos, quibus desponsatio, per quam hoc loco matrimonium intelligitur*, clandestina esse & dici possit, hodie dum** communiter assignant Doctores.

* Aliàs & in sensu proprio desponsationis vocabulum sponsalia de notat, arg. leg. 4. ff. de sponsalibus.

** Plures ab antiquis recensentur, de quibus videri possunt Sanchez tom. 1. lib. 3. disput. 1. de matrimonio, & interpretes ad Cap. 3. b. t.

II. Uno modo talis appellatur, si proclamationibus non præmissis: altero si extra præsentiam parochi & testium saltem duorum facta fuerit.

III. De utroque loquitur *Concilium Tridentinum Sess. 24. Cap. 1. de reform. **

* Quantum ad primum hæc habet: *Lateranensis Concilii sub Innocentio III. celebrati vestigiis inherendo præcipit, ut imposterum, antequam matrimonium contrahatur, ter à proprio contrahentium parocbo tribus continuis diebus festiuis in ecclesia inter missarum solemnias publicè denuntietur, inter quos matrimonium sit contrahendum.*

De secundo ita ait: *qui aliter, quàm præsentem parocbo vel sacerdote de ipsius parochi seu ordinarij licentia & duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, & hujusmodi contractus irritos & nullos esse decernit, prout eos præsentem decreto irritos facit, & annullat.*

IV. Duo hæc *Concilii Tridentini* decreta breviter pertractare & exponere aggredior. Sit itaque

§. I.

DE DESPONSATIONE OB DEFECTUM PROCLAMATIONUM CLANDESTINA.

NUM. I. **Q**uanquam primis ecclesiæ sæculis numerus impedimentorum matrimonii tantus non fuerit, quan-

❧ 3 ❧

quantus hodieum est; extiterunt tamen semper aliqua, cum quibus matrimonium aut omnino non consistere, * aut licitè saltem iniri non poterat. **

* E. G. nulla erant ab ecclesiæ incunabulis matrimonia cum impedimento cognationis tam legalis, quàm naturalis in quibusdam gradibus; cum illo, quod conditionis vocatur in vulgatis verbis. Videri eatenus possunt leges in corpore juris civilis, quæ tunc ad literam ab ecclesiâ servabantur.

** Sic e. g. nunquam licebat fidelibus promiscuè inire nuptias cum infidelibus 1. *ad Corinthios* 6. *Tertullianus lib. 2. ad uxorem per totum.* Ita pariter in Ordinibus sacris constituti nuptiis semper prohibebantur.

II. Conveniens ergo quovis tempore fuit, ut via aliqua aut plures earum ad præcavenda invalida & illicita connubia ab ecclesiæ præpositis ordinarentur: atque in effectu diversæ ejusmodi viæ ab antiquissimis temporibus ad nostra usque inventæ, atque in praxi observatæ fuerunt.

III. Jam olim nuptialis benedictio desponsatis non dabatur prius, quàm in ecclesiâ per Sacerdotem parochiæ publicè Scrutinium aliquod factum fuisset super eo, an non partes nupturientes impedimento aliquo ligarentur, quo minus invicem conjungi possent.

IV. Patet hæc assertio *ex libro Sacramentorum*, seu ut alii vocant, *Sacramentario S. Gregorii M.* ordinante, ut matrimonium in facie ecclesiæ celebretur, ibidèmq; à copulandis

benedictio nuptialis per manus presbyteri parochialis accipiatur, postquam ille se prævè informaverit, si non obstaculum aliquod eorum matrimonium impediat. *Autor Collat. Paris. de matrimonio tom. 3. lib. 4. Collat. 1. §. 1.*

V. Idem fere legitur in Capitularibus Caroli M. lib. 7. Cap. 179. his verbis: *sancitum est, ut publicæ nuptiæ ab his, qui nubere cupiunt, fiant, quia sæpe in nuptiis clam factis gravia peccata accumulatur... sed prius conveniendus est Sacerdos, in cuius parochiâ nuptiæ fieri debent, in Ecclesiâ coram populo, & ibi inquirere unâ cum populo ipse Sacerdos debet, si ejus propinqua sit, an non, aut alterius uxor vel sponsa, vel adultera, & si licita & honesta omnia pariter invenerit, tunc per consilium & benedictionem Sacerdotis & Consultu aliorum bonorum hominum eam sponsare & legitimè dotare debet.*

VI. Diversa aliquantulum est ordinatio Concilii Florojulienfis anno 791. prohibentis nuptias furtim raptimque fieri hâc datâ ratione: *ne forte per erroris ignaviam, vel certè quod pejus est, diabolico instigati amore illicita connubia celebrentur; sed interventis pactis sponsalibus per aliquam dilationis moram requisiti, quin etiam diligenti cura vicini vel majores natu loci illius, qui possint scire lineam generationum utrorumque sponsi scilicet vel sponsæ. Additur posthæc nec sine notiâ Sacerdotis plebis fieri debere nuptias, & quod observatis omnibus prædictis, si partes deprehendantur eo consanguinitatis gradu se attingere, in quo solet fieri separatio, facultas iis sit ad alia vota*

vota transeundi, filiis ex ejusmodi nullo matrimonio natis
existentibus legitimis; quæ omnia contraria essent, siquid
ex ante dictis omissum fuerit.

VII. Succedentibus temporibus opportunior adhuc ad dete-
genda matrimonii impedimenta praxis introducta fuit, *
nempe illa matrimoniis futuris publicè in ecclesiâ præmit-
tendi proclamationes, quæ aliàs etiam monitiones ** & à
gallis banna *** vocantur.

* Dixi succedentibus temporibus; non enim video, quò illa à Juenino
part. 2. Comment. hist. Dogmat. de Sacramentis pag. 980. ad prima
sæcula referri possit. Certe debilis haberi debet ratio desumpta
ex *Tertulliano lib. 2. ad uxorem* scribente: *unde sufficiam ad enar-
vandam felicitatem ejus matrimonii, quod Ecclesia Conciliat, & con-
firmat oblatio, & obsegnatum angeli renuntiant* (hæc postrema ver-
ba de proclamationibus intelligenda esse piè magis, quàm fundatè
sentiit) *pater ratò habet*; nam præter hoc, quod difficile creditur,
praxin tam utilem adeo antiquam esse, nec tamen in aliquo Con-
cilio generali ante sæculum XIII. pro normâ generali præscriptam
fuisse, alium verba citata sensum ex ipso contextu, in quo totis
viribus contra matrimonia fidelium cum infidelibus *Tertullianus*
agit, commodè patiuntur.

Additio. Ratiocinium mox propositum videtur mihi etiam non le-
viter pugnare contra ea *Juenini* argumenta, quibus probare niti-
tur, quod usus proclamationum in gallia semper obrinuerit.

** De futuris scilicet nuptiis ad populum in ordine ad revelationem
impedimenti forte obstantis iis, qui hîc & nunc volunt copulari.

*** Diversis hujus vocis significationes legere est apud *Gonzalez in*
Cap. 27. de sponsalibus & matrimoniis, & in Cap. 2. de purgatione
Canonicâ.

VIII. Ad quod autem præcisè tempus prima istius praxeos origo sit referenda, inter doctores non convenit, duo interim circa eandem sunt indubitata.

IX. Primum est, quod jam ante Concilium Lateranense IV. habitum anno 1216. in Galliâ * & Angliâ ** viguerit.

* Elucet hoc non modo ex *Cap. 27. de sponsalibus & matrimoniis*, in quo Innocentius III. sic ait: *sane quia contingit interdum, quod aliquibus volentibus contrahere matrimonium, bannis, ut tuis verbis utamur, in ecclesiis SECUNDUM CONSUETUDINEM ECCLESIAE GALLICANÆ EDITIS...* sed & ex Constitutionibus Synodicis Odonis Episcopi Parisiensis de Sæculo XII. Earum *Cap. 7.* sic legitur: *Antequam fiat (matrimonium) semper tribus dominicis aut tribus festivis diebus æquè distantibus quasi tribus edictis perquirat Sacerdos à populo sub pœnâ excommunicationis de legitimitate sponsi & sponse, qui debent conjungi, & ante fidem datam de contrahendo matrimonio, & ante hæc tria edicta nullus audeat aliquo modo matrimonia celebrare.*

** Concilium Londinense de anno 1200. hæc habet: *nec contrahatur aliquod matrimonium sine trinâ denuntiatione publicâ in ecclesiâ.*

X. Alterum est, quod per *Innocentium III. in Concilio Lateranensi IV.* approbata, & toti ecclesiæ latinæ * tanquam lex generalis primum fuerit præscripta, utut non sine omni discrimine. **

* In græcâ nec hodiedum observatur, nec unquam aliàs observata fuit; quanquam non desit in eâ modus vicem denuntiationum supplens: cuilibet nempe græcorum matrimonio multis diebus ante

ante ejus solemnizationem publica in ecclesiis sponsalia præmittantur.



** Quippe in ecclesiis particularibus, de quibus antea, numerus & dies faciendarum proclamationum fixus fuerat, secus ac in *Concilio Lateran.*, ut adeo ad ejusdem Canonis satisfaciendum una proclamatio suffecisse dicatur à *Tannero* & aliis.

XI. Lapsu temporis tandem sapientissima ordinatio *Conc. Lateran.* in quibusdam diocesisibus per desuetudinem extra vigorem posita fuit teste *Dominico Soto*, revixit tamen iterum per *Conc. Trid. Sess. 24. Cap. 1. de reform.*, atque ab ejusdem tempore universaliter in ecclesiâ viget.

XII. Imo verò non resuscitavit tantum Canonem Lateranensem *S. Trid. Synodus*, sed & expressit clarissimè, quot vicibus, & quandonam proclamationes facere oporteret. *

* Hoc totum fere jam antea apud nos factum fuisse patet ex *Concilio provincialis Trevivensis sub Balduino glor. mem. Archiepiscopo* anno 1310. habiti cap. 81. ubi eam in rem hæc leguntur: *Inhibemus igitur, & inhibendum esse de jure declaramus, ne sponsalia vel matrimonium clandestinè contrabantur; sed cum contrabenda fuerint matrimonia, sacerdotes publicè ter scilicet per dies Dominicos vel festivos proponant, & proclamationem faciant, in Ecclesiis competentis termino præfinito, ut infra illum, quæ voluerit, & valuerit, legitimum impedimentum opponat. &c.*

XIII. Ex dictis eruitur proclamationes aliud non esse, quàm admonitiones de matrimonio à duobus * contrahendo, & quandoque etiam de contracto ** in Ecclesia *** inter miserum



farum solennia **** tribus continuis diebus festivis ***** à
 parochio sponſi & ſponſæ ***** faciendas ad hoc, ut ſiquis
 impedimenti cujuſdam inter contrahere volentes notitiam ha-
 beat, illud in tempore revelet. *****

- Ad aſſequendum finem ab Eccleſiâ intentum ita deſcribi de-
 bent perſonæ deſponſandæ ut à quovis facile cognoſci poſſint;
 eâ de cauſâ ait *rituale noviffimum Trevirenſe* editum anno 1767
part. I. pag. 235. Nomen, cognomen, pater, mater, patria,
conditio, & parochia debent exprimi. Si pater aut mater deceſſerit,
de morte patris aut matris fiat mentio, pariter ſi ex deſponſandis al-
teruter vel uterque ſit viduus id exprimi debet, declarando expreſſè
nomen & cognomen deſuncti conjugis.

Additio: Reticendum tamen hic omne illud, per quod bonæ ex-
 iſtimationi proximi vel in minimo præjudicari poſſet.

** Per *Trid. Sefſ. 24. cap. 1. de reform.* ibi: *quod ſi aliquando pro-*
babilis fuerit ſuſpicio, matrimonium malitioſè impediri poſſe, ſi tot
præceſſerint denuntiationes, tunc vel una tantùm denuntiatio fiat,
vel ſaltem parochio & duobus vel tribus teſtibus præſentibus matri-
monium celebretur, deinde ante illius conſummationem denuntiatio-
nes in Eccleſiâ fiant.

*** Parochiali utique; quanquam non exiſtitem peccare eum,
 qui in capellâ aliquâ, ad quam hic & nunc omnes parochiani
 ad miſſam parochialem confluunt (ut ſubinde in feſtivitatibus con-
 tingit) matrimonium proclamaret.

**** Hoc requirit litera legis, à qua temerè recedendum noneſt.

***** *Et non aliis diebus addit cit. rituale dictâ pag., ut adeo pro*
Diceceſi Trevirenſi diſputari non poſſe opiner, an in magno
concurſu populi diebus profefſtis proclamationes facere per miſ-
 ſum

sum sit, quod licere sat multi Doctores asserunt apud *Barbosam*
in collect. Doct. in Conc. Trid. Sess. 24. cap. 1. de reform. num. 23.

Additio 1. Quod requiratur, tres dies festivos, quibus proclamationes fiunt, continuos esse, eò tendit, ne inter unam & alteram proclamationem tempus considerabile intercedat; de cætero tribus festis sibi immediatè succedentibus omnes proclamationes facere haud licet, ne brevitatem temporis eludantur, qui impedimentum aliquod revelare tenentur; prohibeturque hoc expressè in *Ordinationibus Archiepiscopalibus Francisci Ludovici glor. mem. cap. 2. §. 28.* ubi inhibetur, ne quisquam deinceps sinè præviis trinis proclamationibus sive bannis per tres Dominicas vel dies de præcepto festivos *interpolatos*, non autem feriales tantum, neque eodem die Dominico vel festivo, vel tempore vetito per adventum & quadragesimam faciendis, vel absque intervallo unius saltem diei inter ultimam proclamationem & ipsius matrimonii celebrationem intercedente parochianos suos matrimonialiter copulare præsumat.

Additio 2. Quod in mox citato loco de proclamationes tempore vetito non faciendis dispositum est, in antefato Rit. novis non habetur; prohibentur in eosolum proclamationes diebus paschæ, pentecostes, & natiuitatis Domini.

Addit. 3. Si intra 4. Menses post factas proclamationes matrimonium non contrahatur, illæ repeti debent, nisi propter litem ratione alicujus oppositionis dilatum fuerit matrimonium. *Idem rituale part. I. pag. 236.*



..... Quod autem illud à Parocho domicilii vel quasi fieri debeat, communis fert opinio, & sæpe *cit. rit. pag. 235.* aperte docet, cum is ibidem proprius contrahentium parochus esse dicatur, in cujus parochiâ habitant, ita ut, si unus vel uterque duo habeat in distinctis parochiis domicilia, in quibus ex æquo habitet, in qualibet earum proclamationes fieri debeant.

Additio. Statutum præterea est in *mox cit. pag.*, quod incolæ hujus diceceseos, si per sex integros menses actu & publicè bonâ fide non fuerint in aliquâ parochiâ commorati, ii vero, qui ex aliâ dicecesi in istam transmigrarint, si per annum integrum actu & publicè bonâ fide in parochiâ, in quâ nubere peroptant, commorati non fuerint, ad matrimonium in eâ celebrandum admittendi non sint, nisi præviè factis proclamationibus in parochiâ, in quâ hic & nunc habitant, & in eâ, in quâ antea morabantur.

***** Ad hoc sub gravi peccato adstringitur, quisquis impedimenti alicujus notitiam habet, non tantum ex virtute religionis & charitatis, quæ ad profanationem Sacramenti & damnum proximi avertendum omnes obligat, sed & ex præcepto Ecclesiæ; estque illud revelationis onus tam strictum, ut sola evitatio gravis damni proprii & subinde etiam alieni, atque secretum confessionis ab eo excuset.

Corollaria. 1. Tenentur ergo ad revelandum impedimenta sibi cognita consanguinei, & ii, quibus illa sub lege secreti sunt detecta. Ratio est, quia hic præponderat præceptum Ecclesiæ ex causis gravissimis latum, & quilibet saltem superiori præcipienti tenetur detegere peccatum inferens damnum tertio, prout docet *D. Thomas 2. 2 q. 70. à 1. ad 2.* quomodo autem ex omisâ denuntiatione impedimenti damnum tertio inferatur, explicat *Sanchez de matrimonio tom. 1. lib. 3. disp. 13. num. 5.*

Additio. Illud etiam contra *continuatorem prælect. honorati Teurnely tom. 14. pag. 385.* sentio verum esse de eo, qui ex consilio à se petito impedimenti notitiam accepit. Movet me ad ita opinandum tum illud, quod ex *D. Thomâ* mox dixi, tum hæc ratio, quod hic non agatur de punitione vel damno alicujus, sed de peccato vitando, & de eripiendo denuntiatum à morte spirituali sibi imminenti; cùmque vita animæ sit omnibus rebus ante-



anteferenda, lex revelandi impedimentum, sique ruinam spiritualem proximi impediendi tanquam fortior legem de servando secreto naturali debet vincere.

Coroll. 2. Non eximitur quoque à præcepto manifestandi impedimentum, qui illud solus scit per *cap. 12. de Sponsal*, cum matrimonium solà depositione unius testis impedi possit, *cujus specialis & vera ratio ut Gonzalez in dict. cap. ait: provenit ex animæ periculo, quia videlicet, ut peccatum vitetur, unius etiam testis testimonio fides adhibetur, nam ex unius testis depositione saltem res dubia redditur, cap. jurisjurandi de testibus, in dubio tamen, quod animæ tutius est, sequi debemus. Cap. juvenis. Cap. commissum b. t. ergo rectè ob unius testis depositionem matrimonium impeditur.* Hucusque Gonzalez alia adhuc specialia hac de re ibidem habens.

Additio. Siquis prævideret, testimonium suum fat efficax non futurum ad impediendum matrimonium, adhuc tamen teneretur præcepto revelationis, quia parochus per hoc saltem aperiretur via ad diligenter inquirendum de impedimento, ad retrahendum partes quâ monitionibus quâ terroribus, ne matrimonium nulliter aut etiam illicitè tantùm contrahere attentarent.

Coroll. 3. Nec eximitur quis per hoc ab onere manifestationis, quod impedimentum absque partis aut partium diffamatione nequeat revelare. Interim ante omnia hoc in casu pars impedimenti conscia (quod & aliàs ordinariè faciendum) monenda est, ne ad conjugium illicitum progrediatur, aut saltem sibi mediante dispensatione provideat, hâcque via sine fructu tentatâ res ad parochum deferenda est, ut malo omni meliore modo occurratur.



XIV. Obligatio, quam in parochus producit facta eidem impedimenti manifestatio, exprimitur in *Conc. Trid. * Lateranensi*

nensi ** & distinctissimè in parte I. pag. 236. rit. novis.
Trev. ***

* Cum autem apparuerit probabilis conjectura contra copulam contrahendam, contractus interdicatur expressè, donec, quid fieri debeat super eo, manifestis constiterit argumentis.

** Quibus denuntiationibus factis, si nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem matrimonii in facie Ecclesie procedatur.

*** Si post primam aut alteram denuntiationem fiat aliqua in formâ juris contra matrimonium futurum intercessio, abstinenceatur à subsequenter denuntiationibus: si post ultimam fiat, non celebretur matrimonium, nisi qui intercesserint, intercessionem suam infectam faciant servatis servandis, aut nulla à iudice declarata sit. Et paulo post: si revelatio alicujus impedimenti fiat absque intercessione, parochus expensâ hujus veritate rem totam, si dubitet, ad ordinarium citius deferat, nec ante procedat ulterius, quam ab eo responsum habuerit. Pro quorum textuum intellectu notandum venit, posse quem impedimentum dupliciter ad parochum deferre, scilicet per viam simplicis revelationis asserendo e. g. nupturientes sibi esse in quarto gradu consanguineos, secundò per viam oppositionis e. g. declarando sibi fidem ab unâ parte primùm datam fuisse, hujusque impletionem à se omnimodè desiderari. Quod si illo modo fiat impedimenti revelatio, parochi est omnia sedulo rimari, & pro re natâ vel ad solemnizationem matrimonii procedere, vel ab eâ se continere, vel denique manente dubio casum ordinario referre; si autem per modum oppositionis in formâ juris fiat impedimenti cujusdam revelatio, ligantur continuo manus parochi, manentque illæ tam diu ligatæ, quamdiu subsistit interjecta oppositio. Ad hanc enervandam aliquando sufficit, quod opponens simpliciter ab intercessione



sione suâ discedat, aliquando requiritur, opponentem ab intercessione suâ per sententiam judicis dejici: & postremum quidem necessarium esse opinor, quotiescunque oppositio in gratiam Sacramenti facta fuit; simplicem autem desistentiam intercedentis sufficere existimo, si oppositio pro jure, cui ab homine renuntiari Potest, facta fuerit.

Additio: Quidâ parochi pro casu factæ intercessionis observandum sit, ne ipse suspectus reddatur, quasi nuptias malitiosè impedire voluerit, & ne semetipsum periculo exponat actionis ob factam oppositionem intentandæ, explicat *continuator prælect. theol. honorati Tournely tom. 14. pag. 389. & seq.*

XV. Omissio proclamationum, etsi matrimonium non irritet,* severissimè tamen tam in contrahentibus, ** quam in parochi assistente *** vindicatur, nisi desuper ab aliquo habente potestatem illas remittendi fuerit dispensatum. ****

* Contrarium cum paucis aliis sustinuit *Menochius ex leg. 5. C. de ll. ubi: nullum pactum, nullam conventionem, nullum contractum inter eos videri volumus subsequutum, qui contrahunt lege contrahere prohibente &c. Consonat. cap. 64. de R. I. in 6. ubi: quæ contra jus fiunt, debent utiq̃ pro infectis haberi.* Verum tam diversus modus loquendi, quo *Conc. Trid.* utitur in decreto de proclamationibus matrimonii & necessariâ ad illud præsentia parochi & testium edito, ostendit, ad valorem non requiri denuntiationum præmissionem; sed & probatur illud invictè ex declarationibus Cardinalium eâ de re emanatis, quas videre est apud *farinacium.*

** *Primò per hoc, quod proles ex matrimonio omissis bannis contracto nata, si illud ob impedimentum quodcunque dirimens nullum sit, illegitima existat: si quis vero hujusmodi clau-*



destina vel interdicta conjugia inire præsumpserit in gradu prohibito etiam ignoranter, soboles de tali conjunctione suscepta prorsus illegitima censentur, de parentum ignorantia nullum habitura subsidium. Cap. fin. h. t. & interpretes in illud; quod addo, quia textus citatus tantum de casu agit, quo matrimonium in gradu prohibito nulliter est initum. *Secundò* per ademptionem spei de impetrandâ dispensatione. *Conc. Trid. Sess. 24. Cap. 5. de reform. ratio* ibidem subjungitur hæc: *non enim dignus est, qui ecclesie benignitatem facile experiatur, cujus salubria præcepta temerè contempsit.* *Tertiò* per impositionem pœnitentiæ juxta Cap. fin. h. t.: *bis, qui taliter etiam in gradu concessio copulari præsumunt, condigna pœnitentia injungatur.*

*** Pœnâ suspensionis triennalis ab officio ferendæ sententiæ sæpe cit. cap. fin. in verbis: *sane si parochialis Sacerdos tales conjunctiones prohibere contempserit, aut quilibet etiam regularis, qui eis præsumpserit interesse, per triennium ab officio suspendatur, gravius puniendus, si culpæ qualitas postulaverit.*

Additio. Eadem pœnè verba reperiuntur in supra cit. loco Statutorum sub Balduino editorum.

**** Dispensationem hanc, ut rectè concedatur, justâ causâ niti debere apud omnes in confesso est; quæ autem causa talis sit, perinde non constat. Unam ipsummet assignat *Conc. Trid.* videlicet suspicionem probabilem, ne aliàs matrimonium malitiosè impediatur, nec defuerunt Doctores, qui hanc solam pro justâ causâ dispensandi agnoverint, quanquam contra torrentem aliorum, à quibus pallim in censum causarum legitimarum referuntur sequentes.

imo Si Principes & Magnates contrahant, idque ex eâ ratione, quod fama horum matrimonia multo semper tempore ante volent, adeoque impedimentum, si quod adfit, facile detegi valeat.



2^{da} Evitatio infamiae e. g. si qui communiter jam habiti pro conjugibus velint contrahere.

3^{ta} Si revalidandum sit matrimonium ob latens aliquod impedimentum nulliter in facie ecclesiae initum.

4^{ta} Angustia temporis, ut si immineret adventus aut quadragesima, nec tamen nuptiae absque incommodo notabili differri possent.

5^{ta} Periculum gravis damni in bonis fortunae, famae, Corporis aut Animae.

6^{ta} Gravis erubescencia aut pudor ob nimiam aetatis, conditionis, aut fortunae discrepantiam.

Additio. Sunt adhuc praeter recensitas causae quaedam, de quarum legitimitate disputatur. Meretur eatenus legi *Continuator praelecti Theolog. Honorati Tournely tom. 13. pag. 402. & seqq.*

§. II.

DE DESPONSATIONE CLANDESTINA EX DEFECTU VEL PAROCHI VEL TESTIUM.

NUM. I. **M**atrimonia fidelium clam & consensu privatim dato contracta, nullo non tempore ab ecclesia improbata fuisse, Doctores ad h. t. uno ore clamant. *

* Quod jam ante praedicationem legis evangelicae in nuptiis iudeorum atque gentilium quaedam intervenerit publicitas, variis argumentis probare nititur *Author. Collat. Paris. tom. 3. lib. 4. Collat. 1.* videri etiam eadem de re potest *Godefredus in notis ad nov. 89. Leonis, & leg. 7. Cod. de repudiis.*

II. Veritatem opinionis istius plurima ex Scriptoribus omnium
Sæcu-

Sæculorum deprompta testimonia manifeste demonstrant; pauca illorum de remotioribus præcipuè sæculis hîc adducam.

III. *S. Ignatius Martyr*, qui primo Sæculo ecclesiæ Antiochenæ præfuit, in epistolâ ad *Polycarpum* sic scribit: *Decet verò, ut & ducentes uxores & nubentes cum Episcopi arbitrio conjungantur, ut nuptiæ juxta Domini præceptum, non autem ob concupiscentiam coiisse videantur.*

IV. *Tertullianus* Author 2di & 3tii Sæculi lib. 2. de pudicitia ita ait: *Ideo pœnes nos occultæ quoque conjunctiones id est non prius apud ecclesiam professæ juxta moechiam & fornicationem judicari periclitantur, nec inde consertæ obtentu matrimonii crimen eludant.**

* Adhunc locum *Rigaltius* in notis animadvertit iis verbis à *Tertulliano* prolatis: *non prius apud ecclesiam professæ* indicari conjugia, in quibus non fuerat servata consuetudo, quâ solebant fideles conjugandi per presbyteros ecclesiæ offerri, ut communibus votis conjugia benedicerentur.

V. Idem 4to ecclesiæ Sæculo observatum fuisse colligitur ex epistolâ *S. Ambrosii* ad *Vigilium* Scribentis oportere, ut conjugium velamine sacerdotali & benedictione sanctificetur.



VI. Ad eundem morem cum benedictione presbyteri nuptias contrahendi alludit *S. Synesius Cyrenensis*, qui floruit Sæculo 5to, Epistolâ 105. ex recensione *petavii* in his verbis: *Mihi & Deus ipse, & Lex, & sacra Theophili manus uxorem dedit.*

- VII. *S. Isidorus Hispalensis*, qui vixit sæculis 6to & 7mo, describit ceremonias solemnitatis matrimoniorum, quæ debebant in facie ecclesiæ cum benedictione presbyteri contrahi *lib. 2. de officiis Cap. 19.*
- VIII. Concordat dictis pro sæculo 8vo *Regula Chrodogangi Episcopi Metensis* hæc habens: *Sponsus & Sponsa cum precibus & oblationibus à Sacerdote benedicantur, & legibus sponsa dotetur, & à paranympbis custodiatur, & publicè solemniterque accipiatur.*
- IX. *Nicolaus I.*, qui Sæculo 9no medio universalem ecclesiam rexit, *in instructione Bulgarorum dicit nuptialia fœdera in ecclesia Domini... per sacerdotis manum & benedictionem statui.*
- X. Praxin ecclesiæ quoad hoc pro sæculis 10mo 11mo & 12mo exhibent collectiones canonum operâ *Burchardi & Ivonis Carnotensis* in lucem datæ.
- XI. Quid de conjugiiis clam & privatim initis senserit ecclesia subsequentibus temporibus ad Conc. Trid. usque, variarum synodorum statuta pœnalia contra clandestinè nubentes evidenter ob oculos ponunt.
- XII. Quantum denique *Concilium Tridentinum* ejusmodi conjugia detestatum fuerit, ex ejusdem *Sess. 24. cap. I. de reform.* elucet: nempe patres in eo congregati animadvertentes prohibitiones antiquorum canonum propter hominum

inobedientiam jam non prodesse, gravioraque peccata ex clandestinis conjugiiis ortum habentia perpendentes eadem per decretum in ingressu hujus dissertatiunculæ citatum penitus annullaverunt. *

Utrum etiam ante Conc. Trid. Matrimonia clandestina ullo unquam tempore fuerint lege aliquâ ecclesiasticâ irritata, quæstio est, in cujus resolutione Doctores non conveniunt. Sunt, qui illam affirmant ob *Can. 1. XXX. q. 5.* ubi: *aliter legitimum non fit conjugium, nisi ab his, qui super ipsam fæminam dominationem habere videntur, & à quibus custoditur, uxor petatur, & à parentibus vel propinquioribus sponsetur, & legibus dotetur, & suo tempore sacerdotaliter, ut mos est, cum precibus & oblationibus à sacerdote benedicatur, & à paranympbis, ut consuetudo docet, custodita, & sociata, à proximis congruo tempore petita legibus detur, ac solemniter accipiatur, & biduo vel triduo orationibus vacent, & castitatem custodiant. item §. 1. ita peracta legitima scitote esse connubia, aliter verò præsumpta, non conjugia, sed adulteria, vel contubernia, vel stupra, aut fornicationes potius, quàm legitima conjugia esse non dubitate, nisi voluntas propria suffragaverit, & vota succurrerint legitima. Atque hæc sententia probabilior apparet, si cum *Basilio Pontio lib. 2. de matrimonio cap. 1. §. 2.* in locum *nisi* substituaturno *etiamsi*, prout legi debere idem *Pontius* loco cit. pluribus argumentis conatur evincere.*

Contrariæ opinioni subscribunt plurimi, & pro iis facere videntur imò verba *Tertulliani* num. 4. proximè à me allegata, in quibus dicitur, occultas conjunctiones secundam moechiam & fornicationem judicari *periclitari*, sat claro indicio, quod illæ possint non esse fornicatio & moechia.



2^{da} Quod incredibile sit omnia illa, quæ cit. Canon requirit, ut matrimonium sit legitimum, ad ejus valorem requisita fuisse.

3^{ta} Textus Nicolai I., qui eodem circiter tempore, quo cit. Canon fabricatus creditur, vixit, & ad Consulta Bulgarorum cap. 3. tom. 5. Collect. Harduini. Col. 355. enumeratis ritibus, iis multum correspondentibus, quos mox ex pseudo-evaristo retuli, sic respondit: *peccatum autem esse, si hæc cuncta in nuptiali fœdere non interveniant, non dicimus, quemadmodum græcos vos adstruere dicitis, præsertim cum tanta soleat arctare quosdam rerum inopia, ut ad hæc præparanda nullum his suffragetur auxilium, ac per hoc sufficiat secundum leges solus eorum consensus, de quorum conjunctionibus agitur.*



Additio. Hujus ergo sententiæ patroni citato Canone pseudo-evaristi aliud significari non autumant, quàm quod matrimonia clandestina sint illicita, aut quod pro foro fori sint invalida.

XIII. Potestatem hoc faciendi pœnes Conc. Trid. fuisse persuadet paritas ab aliis impedimentis jure ecclesiastico introductis desumpta. Accedit, quod, sicut consensus matrimonialis clam præstitus per principes temporales saltem pro subditis eorum infidelibus irritari potest, prout per eosdem variarum personarum consensus in ordine ad quædam negotia de facto irritatus est; ita pariter ab ecclesiâ id fieri posse pro membris ejusdem indubitato judicandum sit, nec quidquam obstante, quod matrimonium ad rationem Sacramenti à Christo evectum sit, cujus essentiam ecclesia mutare non possit; quàm parum enim, qui ex aquâ cerevisiam, & ex vino acetum facit, materiam baptismi aut Eucharistiæ mutat,

quamvis faciat, ut id, quod prius erat Sacramentorum istorum materia, jam non sit amplius eorum materia; tam parum ecclesia requirendo ad valorem matrimonii præsentiam parochi & testium, naturam Sacramenti mutavit, cum id unicè fecerit, ut is, qui aliàs subiectum matrimonii habile fuit, deinceps tale non sit, & ut consensus, qui ante Conc. Trid. vi matrimonium efficiendi pollebat, post illud eadem destituatur.

XIV. Porro causæ, quæ patres Tridenti Congregatos ad irritanda clandestina conjugia moverunt, gravissimæ erant, attingunturque illæ in *Seff. 24. cap. I. de reform.* his verbis: *veruntamen cum sancta synodus ... gravia peccata perpendat, quæ ex iisdem clandestinis conjugiiis ortum habent, * præsertim verò eorum, qui in statu damnationis permanent, dum priore uxore, cum quâ clam contraxerant, relictâ cum aliâ palam contrahunt, & cum eâ in perpetuo adulterio vivunt.*

* Varia profectò hæc sunt, & consideratâ hominum malitiâ quasi naturaliter exinde profluentia, atque ejus quidem generis, ut non modo bonum privatum contrahentium, natarumque ex iis prolium, sed & bonum ipsiusmet reipublicæ per eadam gravissimè lædatur: contrahentium quidem, quia, cum ejusmodi contractus probari non possit, una pars alteram pertæsa aut exhaustâ ejus substantiâ malitiosè ad secundas nuptias transire, quodocunque voluerit, potest: prolium verò, quippe quas maritus ex se natus esse pro libitu valet negare, quo fit, ut earum educatio negligatur, quod quantum reipublicæ, quam
malis



malis civibus hoc modo repleti necesse est, officiat, nemo non videt. Præter hoc ex frequenti ejusmodi matrimonium dissolutione quies publica non potest non turbari, cum sic sæpissimè contingat, ut plures fœminæ eundem virum prætendant suum esse maritum, & vicissim plures viri eandem mulierem pro suâ vendicent uxore.

XV. Conformiter ergo sæpe dicto decreto hodiernum ad valorem matrimonii in locis promulgati Tridentini * requiritur, ut eidem parochus ** vel alius Sacerdos *** de licentiâ **** ipsius parochi seu ordinarii cum duobus ad minimum testibus ***** interfit.

* Duo hæc sunt singularia: 1. unum est, quod licet aliàs ad obligationem legis necessarium non sit eandem ubique promulgari, in hæc tamen materia aliud obtineat, ut patet ex sequentibus *Cmc. Trid. Sess. 24. cap. 1. de reform.* in fine verbis: *decernit insuper (sancta Synodus) ut hujusmodi decretum in unaquaque parochia suum robur post 30. dies* (inquo altera singularitas est, cum ordinariè & nisi aliud à legislatore exprimat, statim à sui publicatione lex subditos stringat) *habere incipiat à die primæ publicationis in eadem parochia factæ numerandos.*

Additio 1. Ex dictis per argumentum à contrario inferitur in locis non promulgati Trid. matrimonia clandestina, utur illicita sint, adhuc tamen esse valida, tenetque illud ex principio generali, quod in contractibus inspiciantur leges & consuetudines locorum, in quibus contractus celebrantur, etiam de eorum matrimoniis, qui ex loco promulgati Trid. in locum non promulgati ex alio fine, quàm ut matrimonium ibidem ineant, se se conferunt. Dixi ex alio fine, quàm ut matrimonium ibidem



ineant, ob declarationes cardinalium, qua de re vid. *Benedictus XIV. de synodo diœcesanâ lib. 13. cap. 4. num. 10.*

Additio 2. In dubio de publicatione memorati decreti præsumptio est, quod ea facta fuerit, *ubicunque constat jam usu receptum esse, ut matrimonia coram parochis & 2 vel 3. testibus tanquam in executionem decreti Conc. Trid. celebrentur. Benedictus XIV. de synodo lib. 12. cap. 5. num. 6.* adducens resolutionem quandam S. Congregationis concilii de 21. Septembris a. 1602.

Additio 3. Modum & annum, quibus in Diœcesi Trevirensi promulgatum fuerit Conc. Trid. exhibet *bist. diplom. Trev. tom. 3. pag. 93. in notâ A.*

** Proprius videlicet unius saltem ex contrahentibus, idque ratione Domicilii vel quasi, non item ratione originis; perinde autem de jure communi est, sponsi vel sponsæ parochus adhibeatur, quanquam in praxi plerumque ultimus soleat matrimonia solemnizare, cujus rei rationes assignat *Vanespen ad tit. de sponsal. cap. 1. num. 5.*

Additio 1. Vagorum verè talium, idest, eorum, qui nullibi seu verum seu quasi domicilium habent, matrimoniis valide assistit parochus loci, in quo hic & nunc inveniuntur, idque etiamsi una pars tantum sit vaga. Quæ autem cautela adhibenda sit à parochis, antequam vagos copulet, docet *Trid. Sess. 24. cap. 7. de reform.* ubi: *parochis autem præcipit, ne illorum matrimoniis intersint, nisi prius diligentem inquisitionem fecerint, & re ad ordinarium delatâ ab eo licentiam id faciendi obtinuerint, ratio hujus ibidem præmittitur hæc: multi sunt, qui vagantur & incertas habent sedes, & ut improbi sunt ingenii, primâ uxore relicta aliam & plerumque plures illâ vivente diversis in locis ducunt. In vit. novis Trev. part. 1. pag. 237.* omnibus Parochis & Sacerdotibus curam animarum habentibus sub pœnâ suspensionis
pro-



prohibitum legitur vagos inconsulto ordinario matrimonialiter copulare.

Additio 2. Valor matrimonii non vitatur per hoc, quod parochus eidem assistens non sit presbyter, aut irregularitate, suspensione, excommunicatione aut interdicto innodatus & suppositus sit, etiamsi specialiter eidem à superiore suo assistentia ejusmodi esset prohibita. Ratio omnium horum desumitur ex verbis ipsiusmet Conc. Trid. plus non requirentis, quàm ut assistat parochus, qualis quis esse potest, licet excommunicatus &c. existat.

Additio 3. Assistentia hæc à parochi nuptiis sui parochiani impendi potest tam intra quam extra districtum suæ parocciæ quantum ad valorem actûs; ad cognoscendum autem an id quoque licitè fiat, distingui debet inter assistentiam, quæ publicè in ecclesiâ cum benedictione, & eam, quæ in privatis ædibus & sine omni solemnitate fit. Pro primâ ut licitè procedatur, requiri debet parochus loci in quo, pro secunda non item; prohibita tamen hæc est in multis dicecesibus nominatim in Trevirensi, *Rit. novis. Trev. part. 1. pag. 240.* supra dictæ ordinationes Francisci Ludovici cap. 2. §. 29. in postremis quidem sub pœnâ suspensionis inhibetur.

Additio 4. Debet parochus, quod & de testibus intelligendum, ad hoc, ut matrimonium valeat, eidem præsens esse moraliter seu humano modo, & eodem simul tempore cum testibus. Ratio utriusque in promptu est, cum parochi & testium præsentia requisita sit, ut per eos de matrimonio fides fieri possit ecclesiæ, & ex mente Conc. Trid. parochus & testes de eodem actu testari posse debeant. An & eundem unâ cum testibus formaliter adhiberi, seu quod idem est, requiri & rogari necesse sit, dubium est inter Doctores. Vid. eatenus *Schmalzgrueber*

grueber ad b. t. num. 234. & seqq. certò tamen ad valorem sufficit præsentia coacta & fraude obtenta, quanquam coactio & fraus ejusmodi graviter sit illicita, tum ob injuriam, quæ parochi & testibus sic inferitur, tum ob contemptum ecclesiæ, præsertim cum taliter contrahentes ordinariè proclamationes omittant. Desuper pro hac diocesi habetur in scepe cit. ordinat. Francisci Ludovici cap. 2. §. 30. ubi: *quicumque seculares impiè & Sacramento injuriosè praxi matrimonium non servatis proclamationibus coram ordinario vel parochi invitatis & reluctantibus clandestinè contrahere præsumpserint, ad comprimendam hanc extremam temeritatem noverint se ipso facto censuras interdicti personalis & excommunicationis incurfuros.* Habetur præterea in hanc rem Joannis Philippi glor. mem. ordinatio de 3tiâ Februarii anno 1757., per quam temerarium ejusmodi factum sub pœnâ confiscationis omnium bonorum & relegationis extra patriam cum reservatione etiam pœnitentiæ publicæ prohibetur.

Additio 5. Quando matrimonium initur vel absque parochi vel absque testibus, tam contrahentes, quam parochus & testes pœnâ arbitrariâ per ordinarium infligendâ sunt castigandi per Conc. Trid. Sess. 24. cap. 1. de reform. in verbis: *Insuper parochum vel alium Sacerdotem, qui cum minore testium numero, & testes, qui sine parochi vel Sacerdote hujusmodi contractui interfuerint, nec non ipsos contrahentes graviter arbitrio ordinarii puniri præcipit.* Presbyteri aut parochi nuptiis alterius parochiæ sponforum assistentis aut eas benedictis pœna sequitur eod. loco: *Siquis parochus vel alius Sacerdos sive regularis sive secularis sit, etiamsi id sibi ex privilegio vel immemoriali consuetudine licere contendat, alterius parochiæ sponfos sine illorum parochi licentiâ Matrimonio conjungere aut benedicere ausus fuerit, ipso jure tam diu suspensus maneat, quamdiu ab ordinario ejus parochi, qui matrimonio interesse debebat, seu à quo benedictio fascipienda erat, absolvatur.* Verba

ba hæc allegantur in *Ordinat. Francisci Ludovici cap. 2. §. 27* iisque additur: *noverint simul ejusmodi transgressores, contra eos, ubi correcti non respuerint, etiam ad incarcerationes & privationes beneficiorum canonicè procedendum.* An autem parochus absque debito testium numero assistens matrimoniis triennio sit suspendendus, de eo doctores non conveniunt: affirmant multi ex *Cap. fin. b. t.*, negant alii ex eo, quod ibidem sermo sit de assistente omissis proclamationibus, qui casus plane alius est ab eo, de quo quæritur.

Additio 6. Quod in primis duabus formulis, quæ puncto irritandorum matrimoniorum clandestinorum patribus tridentinis propositæ fuerunt, præsentia parochi requisita non fuerit, sed trium tantummodo testium, patet ex *Pellavicini historiâ Conc. Trid. Lib. 22. cap. 4.* Discrimen inter formulas istas hoc erat, quod prior homines tantum ad matrimonia clandestina, subsequens autem illos etiam ad sponsalia ejusmodi inhabiles reddiderit. Quare autem satius habitum fuerit postea ad efficaciam Sacramenti requirere, ut eidem parochus simul interfuerit, *eod. lib. cap. 8.* exponitur: perpensum scilicet est, nimis facile fore matrimonium contrahi coram hominibus vagis & ignotis, quibus abeuntibus testimonium facti haud extaret, & in absurda pristina incideretur; ad consulendum ergo incommodis hujusmodi testem stabilem, qui contracta connubia in codicem referret, quæri debere, atque ad hoc parochus vel maximè idoneus visus fuit.

*** Non ergo Diaconus aut minor clericus ad vices parochi hinc supplendas potest substitui. Probatio hujus latet in verbis *Conc. Trid. præsentè paroebo VEL SACERDO TE.*

**** Hæc expressa sit, non autem præsumpta tantum aut interpretativa, ut decisum legitur in *Ordinationibus Francisci Ludovici*

vici cap. 2. §. 35: *ad evitandum vitium clandestinitatis declaramus, non sufficere præsumptam seu interpretativam tantum Licentiam proprii pastoris, sed expressam omnino requiri.*

**** De horum sexu, ætate & aliis qualitatibus altum in Conc. Trid. silentium, adeoque censendum est, testes etiamsi omni exceptione majores non sint, hæc tamen à testimonio non re-
 pelli, cum Trid. Conc., ante quod nullus ad valorem matrimonii testis requirebatur, jus antiquum eatenus immutavit, atque ideo verba ejus strictè, ut sonant, sint accipienda. Accedit efficaciam multorum matrimoniorum in contraria sententia reddi ambiguum, id quod à quodam Patre in Conc. Trid. contra verba: *testes fide dignos* ab aliquo expetita observatum refert *Pallav. hist. Conc. Trid. lib. 22. cap. 4. Rit. novis. Trev. part. 1. pag. 232.* ait: *testes autem non nisi bene noti admittendi sunt, & quibus fides certa adhiberi possit; hæc ergo cautela si in istâ dicecesi negligitur, illicitè proceditur ad copulationem.*

XVI. Quæ hæctenus de parochi & testium præsentia ex Tridentino dixi, ad omne matrimonium spectant, in locis, ubi decretum istius Concilii matrimonia clandestina concernens est promulgatum, ita ut ibidem non servatâ ad literam Concilii formâ, bonâ licet fide & in urgente necessitate celebratum * effectu careat, exceptis casibus, quibus vel forma ista ex causâ aliqua generali servatu possibilis non sit, ** vel matrimonium aliquod ex capite latentis penitus & occulti impedimenti irritum tantum revalidari debeat. ***

* Qualis e. g. est, si constitutus in articulo mortis velit ad legitimandas proles ducere concubinam, parochus autem pro tunc haberi

haberi non possit, eo quod aut absens à loco, aut mortuus sit, nec alius adit, qui vices ejusdem suppleat; ratio hujus in eo posita est, quod, quando jus negotium aliquod certo modo fieri vult appositâ clausulâ irritante, si aliter fiat, modus iste ad formam actûs pertineat, quam ad unguem servare necesse sit, cum sine eâ actus subsistere nullatenus valeat; sustineri ergo non potest opinio doctorum quorundam apud *Barbosam in Collect. Doct. in Conc. Tvid. Sess. 24. cap. 1. de reform. num. 140.* existimantium in ejusmodi casu valere matrimonium, dum fiat coram aliis testibus.

** Exceptio hæc fundatur in declarationibus Cardinalium ad Episcopum Tricariensem datis 19na Januarii an. 1605. illæ præter alia sequentes duas continent decisiones: a. *ubi autem constat decretum Concilii esse observatum, sed parochialis ecclesia utpote vacans proprio paroco careat, & cathedralis itidem Episcopo atque capitulo, habentibus à concilio facultatem alium Sacerdotem ad id delegandi, nullusque alius ibi sit, qui vices Parochi vel Episcopi suppleat, matrimonium valere absque præsentia parochi, servatâ tamen in eo, in quo potest, forma Concilii, nempe adhibitis saltem duobus testibus* b. *si extent quidem Parochus & Episcopus, sed nullo constituto vicario uterque metu hæreticorum lateat, ita ut vere ignoretur, ubinam sit, vel eodem metu à diœcesi absit, nec ad alterutrum sit tutus accessus, validum est matrimonium contractum absque forma Concilii adhibitis tamen, ut dictum, duobus testibus.*

*** Est hæc sententia etsi contraria principio, quod lex in periculo universali fundata & formam actui tribuens in omni possibili casu observari debeat, inter Doctores, quos magno numero allegat *Schmalzgrueber ad b. t. num. 120.* magis communis, imo vero stabilita fuit *declaratione S. Pii V.*, ut refertur in *thesauro resolutionum S. Congregationis Concilii tom. 2. pag. 298.*

POSITIONES
EX
VARIO JURE.

I.

Jus naturale non est id, quod natura omnia animalia docuit, prout Ulpianus *in leg. 1. ff. de J. D. J.* voluit.

2. Sed solarum atque omnium nationum commune est instinctu naturæ, non constitutione aliquâ *Can. 1. dist. 1.*

3. Illud partim versatur in eo, quod quisque aut facere tenetur aut omittere, partim vero in eo, quod cuique fas est facere vel omittere.

4. Hinc recta est divisio juris naturalis in præcipiens, prohibens, & permittens.

5. Prohibens vel simul est irritans, vel simpliciter & tantum prohibens.

6. Quoties actus prohibetur jure naturæ ob defectum potestatis & voluntatis sufficientis, aut incapacitatem materiæ, aut turpitudinem perpetuam atque in ipso effectu durantem, toties actus eodem jure non tantum illicitus, sed & invalidus est;

7. Extra hos casus autem actus quidem dici potest illicitus, non tamen invalidus.

8. Ex-

8. Protestantes Catholico Principi subiecti in nostro Imperio etiam quoad ecclesiastica ejusdem jurisdictionem revereri debent, salvis tamen principiis propriis ex normâ anni decretorii competentibus.
9. Vicariis Imperii jus primariarum precum non competit.
10. Contra pacem Westphalicam jure suo protestatus fuit Innocentius X.
11. Clericus conveniens laicum in foro civili nequit ab eodem reconveniri.
12. Vacante Episcopatu jurisdictio ordinaria, nec non à jure delegata ad Capitulum Cathedrale devolvitur, non revolvitur.
13. Ad transactionem cum cessione rei immobilis possessæ prælati ecclesiastici observare tenentur solemnitates ad alienationem præscriptas: secus ubi jura suarum ecclesiarum pecuniâ redimunt.
14. Exceptio S^Cti Macedoniani in foro conscientiæ non prodest.
15. Impedimentum criminis etiam ignaros constitutionis desuper sancitæ ligat.
16. Possessor - non proprietarius dignitatis, cui annexum jus conferendi beneficium, si bonâ fide possideat, potest lite etiam motâ & contestatâ super proprietate dignitatis conferre.
17. Trebellianica ob non confectum inventarium haud amittitur.

18. Vulgaris substitutio non impedit transmissionem juris delib-
berandi in hæredem instituti.
19. Vasallus feudum antiquum non potest refutare in præjudi-
cium agnatorum, nequidem in favorem domini directi.
20. Verius est, non obstante convitii veritate locum habere actio-
nem injuriarum, si quis alteri tale quid objecerit, quod
manifestum fieri reip. non interest.
21. Nec contrarium probatur ex *leg. 18. ff. de injuriis.*
22. Multo minus ex istâ lege efformari potest regula, quod oc-
cultâ quidem, sed tamen vera proximi delicta revelans con-
tra justitiam non peccet.
23. Ad instantiam fisci criminalis potest judex ecclesiasticus de-
cernere monitorium de revelando generale sub censuris,
etiamsi revelatus morte puniretur.

I. O. H. D.



© The Tiffen Company, 2007

TIFFEN® Gray Scale

A	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19
	R	G	B					W	G	K				C	Y	M			

TIFFEN® Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2007

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black

Inches: 0 to 8
Centimetres: 0 to 19